



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. VII. De operibus infidelium quid Austustinus senserit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

hum bonum creatum, & non aliud, etiam si neutrum possit diligi, ut vltimus finis simpliciter, & possit, seu super omnia, quia hoc est proprium boni increati.

CAPVT VII.

De operibus infidelium quid Augustinus fenerit?

Multi, & graues auctores affirmant Augustini sententiam fuisse, nullum opus bonum morale posse bene, & honeste fieri sine fide, ideoque omnia opera hominis infidelis, quantumuis bona ex obiecto videantur, esse peccata. Et vera sunt varia loca difficillima, in quibus hanc sententiam tradere, lateque confirmare videtur. Præcipuus est in libro quarto contra Iulianum capit. tertio, ubi latissime hoc punctum tractat, sæpeque repetit, virtutes, quæ in infidelibus esse videntur, non esse veras virtutes, & bona opera non bene ab eis fieri, & ideo simpliciter bona non esse, sed mala, & peccata. Idem habet lib. 5. de ciuit. cap. 12. & lib. 19. cap. 25. & lib. 13. de Trinit. capit. vltim. ubi negat, esse veras virtutes morales, nisi ad fidem referantur, quæ per charitatem operatur, & addit etiam illas non esse tales in hac vita, quin aliqua remissione indigeant. Et lib. de Continentia cap. 13. Absit (ait) ut consentiam, de qua Scriptura dicit, esse Dei donum, etiam eos habere dicamus, qui continent, vel errantibus seruimus, vel aliqui minores cupiditates ideo vincunt, ut alias expleant, quarum granditate vincuntur. Idem sentit lib. 1. de Nupt. cap. 3. ubi negat, pudicitiam conjugalem inter infideles coniuges esse bonam, & quod amplius est, negat esse Dei donum. Idem lib. 1. de Gratia Christi cap. 26. Lactius Præfat. in Psalm. 31. ubi inter alia dicit, Ea opera, quæ dicuntur bona ante fidem, quantum videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videntur esse, ut ceterum curis præter viam. Et infra circa finem. Crede in eum, qui iustificat impiam, ut possint, & bona opera sua esse bona, nam nec bona illa appellauerim, quæ non prodeunt de radice bona. Et infra. Attenduntur operata, & inueniuntur omnia mala: utique ante fidem, & infra. Nam qui a fidem præcesserunt, nec bona vocanda sunt.

Secundò potest ostendi, hanc fuisse mentem Augustini ex fundamentis eius. Quæ primò sumuntur ex locis Scripturæ supra tractatis, videlicet, ad Roman. 14. Omne, quod non est ex fide, peccatum est. Quod de propria fide Theologi ubique intelligit: sentiens, nullum actum simpliciter bonum fieri sine fide; imò è contrario actum sine fide factum semper esse peccatum. Item ad Hebr. 11. Sine fide impossibile est placere Deo. Quod de actibus sine fide factis interpretatur, & inde colligit, non posse esse bonos, quia non possunt Deo placere, nam omne bonum, & honestum placet Deo. Et Matth. 7. Non potest arbor mala bonos fructus facere. Nam per arborem malam intelligit voluntatem impiam, à qua nihil boni prodire potest: talem autem dicit esse voluntatem hominis infidelis. Quartus est Matth. 6. Lucerna corporis tui est oculus tuus, si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Subiungit enim Augustinus, infidelem habere oculum nequam, quia habet prauam intentionem in suis operibus.

Et ex hoc vltimo loco sumitur prima ratio, quæ vtitur frequentius Augustinus, quia ut opus sit bonum, non satis est, quod sit de obiecto bono, sed oportet, ut etiam sit propter bonum finem, sed infidelis non habet bonam intentionem in suis operibus, ergo. Maiorem probat multis modis, præsertim contra Iulian. Nam ad veram virtutem (ait) non tantum intrandum est, quid agitur, sed causa querenda est, cur agatur, quia virtus à vicio magis sine distinguitur, quam officio. Quod tanquam omnino verum supponimus. Minorem autem probat, vel quia infideles, & gentiles dum

videntur operari virtutem, semper ducuntur aliqua humana concupiscentia, ut appetitu gloriæ, sicut de Romanis ait in libris de Ciuitate; vel affectu auaritiæ, vel timore alicuius penæ temporalis, ut in lib. de Continent. & sæpe aliàs dicit. Vel quia infideles operantur in cultum, & honorem suorum Deorum; vel denique quia licet demus, operari interdum virtutem, propter se ipsam, etiam illud est superbum, ait, in vltimo loco de Ciuit. quia per talem virtutem non seruitur Creatori.

Atque hinc oritur altera ratio, quam sæpe etiam vrget, quia opus hominis infidelis saltem caret sine debito, & ideo malum est, sic ait contra Iulian. Virtutes, si quæ videntur esse in infidelibus, non esse veras, quia non ad suum referuntur autorem. Imò addit, illis videntes malos fieri, vel in his ipso peccantes, quod fidem non habentes, ad illum finem, ista non referunt, ad quem referre debuerant. Et similiter lib. 5. de Ciuit. cap. 12. Non esse veram virtutem, nisi quæ referatur in illud bonum, quo melius non est. Vnde tertiam rationem insinuat contra Iulianum, quia opus sine fide factum, nec referatur in Deum, nec ei tribuitur: ergo non potest esse bonum, quia illud operans, in se, non in Domino de illo gloriatur, eoque ipso malum est opus. Quarta ratio Augustini est, quia omnia opera infidelium sunt sterilia, & infructuosa: ergo non sunt bona. Antecedens constat, quia tale opus non potest dare vitam, nec ad illam conferre, quia iustus ex fide viuunt. Vnde nec iustitiam dare potest, nec facere bonum operantem: ergo est sterile opus: ergo non est bonum, quia fieri non potest (inquit contra Iulianum) ut sterilis boni simus, & ideo, quidquid steriliter sumus, boni non sumus. Vbi talem rationem insinuat, quia homo tenetur nunquam steriliter operari, & ideo quoties steriliter operatur, non bene operatur.

Quinta ratio, quam maxime vrget in lib. 1. de Nupt. & concu. c. 12. & dicto lib. contra Iulian. quia non potest esse pudicus veraciter, qui non propter Deum verum fidem connubij seruat, tacite inde inferens, eandem esse rationem de quocunque bono opere morali. Antecedens probat, quia non potest corpus esse pudicum, quando animus à Deo fornicatur, sed animus infidelis à Deo fornicatur, iuxta illud Psalm. 72. Perdidisti omnes, qui fornicantur abste; ergo non potest infidelis esse veraciter pudicus. Probatur consequentia, quia pudicitia est in animo, & animus fornicarius non potest esse pudicus. Ergo (ait Augustinus) aut in animo fornicante pudicitia esse potest, aut in infideli pudicitia esse non potest. Vnde cum primum censcat omnino absurdum, secundum approbat.

Tertio principaliter ostenditur, hanc fuisse mentem Augustini, quia ita intellexerunt posteriores Patres illius sectatores, in primis Prosper lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 7. aliàs 3. ubi sic ait. Et si fuit, qui naturaliter intellectu conatus sit, virginitatem seruare, huius tantum temporis beatitudinem non profecit. Sine cultu enim veri Dei, etiam quod virtus videtur esse, peccatum est, nec placere vltis DEO sine DEO potest. Qui virò DEO non placet: cui nisi sibi, & diabolo placet? Et libro contra Colla. capit. vigesimo secundo. Nihil boni operis procedit ex mortuo, nihil iustitia procedit ex impijs. Et infra loquens de infideli ait, Bonus suis malè vitatur, in quibus sine cultu veri Dei impietatis, immunditiæque conuincitur, & infra ait, Nullum esse bonum voluntatis motum, nisi quem creauerit diffusa per Spiritum Sanctum charitatis affectus, quia sine fide impossibile est placere Deo, & omne, quod non est ex fide, peccatum est, & in Christo Iesu neque circumcissio aliquid valet, nec noua creatura, sed fides, quæ per dilectionem operatur. Idem capit. vigesimo octauo. adhuc illam rationem, Quia in his studijs (utique virtutum) non Deo, sed diabolo seruiunt, utique infideles. Vnde concludit, In impiorum animis omnia opera esse immunda, atque polluta. Fulgentius etiam libro de Incarnat.

carnat. & Grat. cap. 52. sentit, ante fidem non esse bona opera, & allegat illa duo loca, sine fide impossibile est placere Deo, & quod non est ex fide peccatum est.

*Oppositum tamen re vera sensisse Augustinum
quatuor motibus ex ipso petitis ostenditur.*

7.
Primum
motuum
quod in con-
trarium al-
lata ex Au-
gustino de quo
liber pecca-
torum etiam
fidelis abur-
de procedo-
rent.

Idque siue
consideretur
utrumque
operantium
indignitas.

8.
Siue fines
propter quos
operantur.

Enafo reij-
citur.

Clanditum
fuga.

His vero non obstantibus, persuaderi non possum, Augustinum in ea fuisse sententia propter ea, quæ subiiciam. Primum, quia Augustinus eodem modo loquitur de peccatoribus omnibus, quo de infidelibus, & rationes eius æquæ de illis procedunt; sed non est verisimile sensisse, omnia opera hominis in peccato existentis, esse peccata, cum hic sit magnus error, & contrarium ipse sæpè doceat, ut cap. 5. visum est; ergo nec de infidelibus id docuisse, credendum est. Consequentia est clara, quia in eisdem locis de utrisque loquitur, & non potuit in vno sensu loqui de his, & in alio de illis. De minori autem satis dictum est in capit. quarto & quinto. Probatur ergo maior, nam in dicto cap. 3. contra Iulian. generaliter ait, *Abstine in aliquo sit vera virtus, nisi verè sit iustus*. Et inferius absolute negat, veram virtutem, veram sapientiam, veramque iustitiam esse posse in infidelibus impijs, & in hominibus diabolo mancipatis, quales sunt omnes in peccato mortali existentes. Et in fine addit, *sine Dei amore nihil esse boni*. Quod si quis respondeat, ibi per amorem Dei, non intelligere Augustinum charitatem, sed amorem honestatis, & iustitiæ cuiuscunque propter rectitudinem eius, sic friget eius discursus tam in fidelibus, quam in infidelibus peccatoribus, quia etiam in infidelibus potest esse amor boni honesti propter honestatem, & æquitatem naturalem ex conformitate ad rectam rationem: ergo est par ratio in utrisque.

Denique ratio etiam sumpta ex fine æqualiter in utrisque procedit, nam etiam fidelis existens in peccato, non operatur propter D E V M, quantum est ex formali, vel virtuali intentione sua, quia non diligit D E V M. Quod si quis respondeat, posse diligere aliquo modo imperfecto. Contra hoc est, quia si ille modus tantum est implicitus in intentione boni honesti, etiam hoc modo possunt diligere Deum infideles: si verò sit sermo de amore formali ipsius Dei, vel intentione colendi D E V M, vel placendi illi: hæc in primis non est necessaria ad bonum opus, ut supra probatum est, & deinde etiam potest esse in infidelibus saltem hæreticis, & paganis, ac Philosophis verum Deum agnoscantibus. Denique si ratio illa Augustini, quod virtutes etiam propter se intentæ sunt superbiæ, ita intelligenda est, ut amor virtutum moralium, temperantiæ, misericordiæ, & similibus propter se ipsas, non sit bonus, etiam in homine fidelis amor erit malus, & tales virtutes Christiani hominis dicendæ erunt, *Servire temporalibus commodis, aut nulli volentes servire, ac propterea vanas esse, & non veras virtutes, quia veræ virtutes Deo servire debent, & propter ipsum operari*. Sicut de virtutibus infidelium loquitur Augustinus: at incredibile est, ita illum sensisse de talibus virtutibus Christianorum: ergo in alio sensu loquitur etiam de infidelibus. Idemque argumentum fieri posset de alia sententia, quam ibi habet Augustinus, scilicet, quia si virtutes non profunt ad beatitudinem veram, quam fides per Christum promittit, non sunt veræ virtutes: quod etiam in peccatore Christiano procedit, quia etiam non profunt peccatori suæ virtutes. Quod si dicatur, non prodesse actu ex impedimento personæ, de se autem fructuosas esse, & hanc esse mentem Augustini, contra hoc est, quia idem omnino est de virtutibus infidelium.

Secundo moueor, quia sequitur ex illa sententia, Augustinum sensisse, hominem carentem fide, esse incapacem boni operis, etiam per auxilium gratiæ Dei inspirantis bonum, & adiuvantis: consequens est incredibile: ergo. Minor videtur per se nota, quia ubique Augustinus magnifice sentit de diuina omnipotentia ad trahendam hominis voluntatem, quò voluerit, quando voluerit, & quomodo voluerit, & eodem modo sentit de efficacia diuinæ gratiæ: ergo non potuit sentire adeo esse infirmam, & imbecilem, ut non possit hominem infidelem inducere ad aliquid bonum operandum, etiam si in infidelitate sua permaneat. Et præterea est optima ratio, quia alias nunquam posset Deus hominem infidelem mouere specialiter ad aliquid operandum, etiam in ordine ad fidem, ut paulatim illum ad eam perducatur; quia moueret illum ad opus prauum: consequens est per se absurdum, & valde alienum à doctrina Augustini. Denique statim afferemus loca, in quibus Augustinus contrarium expresse docet. Probatur ergo sequela, quia si homo permanet in infidelitate, etiam si moueatur à Deo specialiter ad elemosinam faciendam, nunquam illam faciet propter D E V M: quia ignorat se moueri à D E O, vel etiam ipsum Deum, ergo non bene operabitur. Item semper animus eius fornicatur à D E O: ergo licet moueatur ad seruandam pudicitiam coniugalem, nunquam erit verè pudicus. Item etiam si ex tali auxilio operetur, eius opus erit sterile in ordine ad veram felicitatem consequendam, ad summumque deseruiet, ut minus puniatur infidelis in die iudicii, quod non satis esse ad opus bonum, indicat eodem loco Augustinus: ergo si verba eius in hoc rigore sumantur, ut talia opera, moraliter bona non sint, & ad hoc tendant rationes eius, dicendum est, idem sensisse de operibus infidelium factis ex auxilio gratiæ, quod, ut dixi, & falsum, & incredibile est.

Tertiò moueor, quia si sententia illa in eo sensu accipitur, rationes Augustini friuolæ sunt, & tanto ingenio indignæ. Et in primis loca Scripturæ partim momenti sunt, iam enim in capit. quarto ostendimus, verum sensum illorum longè alium esse. Deinde prima ratio capite præcedenti soluta est, ibi enim declarauimus, quæ intentio bona sit necessaria, & sufficiens ad moralem honestatem boni operis, & quomodo esse possit in infideli, etiam non cognoscente D E V M. Neque oppositum probat inductio Augustini, quia in primis non est necessesse, ut operetur propter idolum, ut supra declarauimus. Deinde intentio vanæ gloriæ, vel alterius similis cupiditatis inordinatæ, licet fortasse sæpius moueat infideles, non habet necessariam connexionem cum infidelitate, imò nec necessarium est, ut semper intercedat intentio commodi temporis proprii, sed potest honestas virtutis sufficienter mouere. Quin etiam si intentio sit alicuius commodi temporalis, non ideo opus ex necessitate malum est, quia potest illa commoditas esse conueniens naturæ propter se ipsam, & per rectam rationem regulari, quod satis est, ut possit honestè intendi, ut proximus finis per se diligibilis, & ut actio per se tendat in Deum, licet ab operante non referatur. Et ita soluantur secunda, & tertia ratio de carentia relationis in debitum finem, vel in Deum, quia non debetur actioni morali aliud genus relationis operantis in beatitudinem, vel in D E V M, vel in alium extrinsecum finem, quando intrinsecus est per se appetibilis secundum rectam rationem.

Quod autem Augustinus significat, talem voluntatem esse superbam, simpliciter intellectum incredibile est, & alienum à sententia Augustini, sæpè relationis in docentis, esse honestum, propter honestatem, vel Deum non esse propter superbiam.

propter obseruantiam legis operari. Neque vlla vmbra superbia in hoc ostendi potest, quia quod operans illud non referat in Deum, potest esse ex ignorantia, vel sola incogitantia, sine vlla specie superbia. Quod autem homo sibi tribuat tale opus, & de illo in se gloriatur, etiam non est necessarium, quia potest nihil de hoc cogitare, neque etiam scire, vel inquirere, quia virtute naturali, aut diuina tale opus fiat. Et quando in hoc homo aliquid erraret, vel peccaret, esset per se nouum peccatum, habens pro obiecto, & materia, circa quam versatur, aliud opus bonum, non tamen esset circumstantia eius, & ita non tolleret ab illo bonitatem, vt ex generali doctrina de bonitate moralium operum constat.

13. Quarta item ratio de operis sterilitate, si intelligatur de sterilitate actuali (vt sic dicam) in ratione meriti vite eternae, aut alicuius gratiae supernaturalis, falsum est, quod assumit, siue intelligatur de merito condigni, siue de congruo, quia neutrum meritum actuale est de necessitate boni operis moralis virtutis acquisite, seu ordinis naturalis. Quia haec ratio meriti est superioris ordinis, vnde ex natura rei non requiritur ad bonitatem moralem ordinis naturalis, neque etiam datum est diuinum praeceptum speciale operandi semper cum aliquo tali fructu, vel merito boni operis, nullibi enim tale praeceptum scriptum legitur, vel traditum refertur, & quamuis tale praeceptum datum esset, posset ignorari inuincibiliter, maxime ab infidelibus, & ita illo non obstante possunt interdum sine morali defectu operari. Si vero intelligatur ratio de sterilitate potentiali, vt sic dicam, quae intelligitur esse in opere, quoniam non tantum non prodest ad vitam, verum nec prodesse potest, haec sterilitas non inuenitur, nisi in operibus malis, quae à Theologis dicuntur mortifera latè sumpto vocabulo, vt comprehendat etiam venialia peccata.

13. Nam si opus tantum est mortuum, licet tunc ex accidente impedimento non prodest, de se posset prodesse, ideoque non potest dici sterile saltem quoad potestatem seu capacitatem. In hoc autem sensu facile negabitur, omnia opera infidelium esse sterilia, quia possunt esse aliqua bona, quae de se possent esse vtilia ad vitam eternam, si aliae conditiones concurrerent. Imò etiam de facto possunt aliqua esse talia, vt remotè saltem ad fidem disponant, vel aliquod impedimentum remoueant, quae non est parua vtilitas. Denique si talia opera sint ordinis naturalis, vt habeant proportionatam honestatem, satis est, quod sint de se consentanea naturali felicitati, & apta, vt in gloriam Dei authoris naturae redundant, ac denique vt sint conuenientia naturae rationali, quatenus recta ratione vtiuntur. Nam propter hanc etiam rationem sufficienter sunt laude digna, & apta ad aliquod meritum, nisi aliud obstat, iuxta doctrinam Diui Thomae prima secundae, quaestione vigesima secunda, ergo talis actus non est ita sterilis, vt propterea possit malus reputari.

14. Quinta denique ratio, quae procedit in fidei peccatore, ac in infideli, quia omnis peccans mortaliter, dici potest fornicari à Deo, & ita illa phrasi vtiatur Scriptura respectu omnium peccatorum, & maxime infidelium, qui magis tenentur fidem Deo seruare. In omnibus verò ratio illa mirabilem continet verborum æquiuocationem, quia ex significatione propria animi fornicarij fit transiit ad metaphoricam, & ita syllogismus fit in quatuor terminis. Alia est enim carnalis fornicatio, alia spiritualis. Prior est in animo, & corpore impudico carnaliter, id est, committente talem speciem intemperantiae. Posterior verò fit per omne peccatum mortale, quo peccans ita coniungitur creaturae, vt propter illam deserat D E V M. Priori ergo fornicationi carnali

opponitur pudicitia etiam corporalis, & hoc modo verum est, in animo carnaliter fornicante, pudicitiam illi oppositam esse non posse. Alteri verò fornicationi spirituali non semper opponitur pudicitia corporalis, sed spiritualis, quae dici potest innocentia, aut munditia quaedam apud D E V M. Et ideo non repugnat, animum esse fornicarium hoc modo spirituali, respectu Dei, & nihilominus esse pudicum corporaliter respectu coniugis. Sic ergo idololatria est fornicarius Deo, quia illi fidem non seruat, & potest seruare vxori eorum inuolatum, & fidelem, & sic esse corporaliter pudicus. Et declaratur, nam licet omne vitium sit contrarium D E O, non omne vitium est omni virtuti contrarium; ergo licet animus per vnum vitium fornicetur contra Deum, potest in alia virtute non offendere Deum, vel proximum. Ergo licet homo sit fornicarius Deo per infidelitatem, vel simile vitium spirituale, potest non carnaliter fornicari, neque in illa materia temperantiae Deum offendere.

Quarto moueor, quia in multis locis Augustinus admittit aliquod bonum opus in homine infideli, licet dicat illud esse Deo vt principali auctori tribuendum, quod nunc non refert, quia non tractamus, quibus viribus possit fieri talis actus ab infideli, sed absolute an interdum fiat. Probatur ergo assumptum, primo ex libro primo de Gratia Christi capit. vigesimo quarto, vbi verba illa Esther decimo quinto, *Conuertere Deus spiritum Regis in mansuetudinem* (quae dicta sunt de Assuero gentili, & idololatra) intelligit de efficacia diuinæ potestatis, ad operandum in cordibus hominum, non solum veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates. Vt in fine capituli concludit. Inde verò non satis probatur, illum affectum Assueri fuisse bonum ex omnibus circumstantijs, sed ex obiecto solum. Potest enim Deus efficaciter conuertere voluntatem hominis ad obiectum bonum, etiam si praeficiat, hominem adhibendum in suo affectu malam circumstantiam. Est autem verisimile, in illo casu nullam fuisse ex parte Assueri, gratiasque & temere iudicaretur ab aliquo, in eo actu peccasse.

Secundo idem probatur ex Augustino epistol. 130. vbi de quodam Polemone gentili, prius ebrioso, & luxurioso dicit, per suasionem Xenocrati Philosophi mutatum esse ad temperantiam, & continentiam seruandam, & in hoc fuisse meliorem factum, licet verum Deum non cognosceret, Nam si illum cognosceret, & pie coleret (ait Augustinus) continentia illa non tantum ad huius vitae honestatem, sed etiam ad futura immortalitatem illi valuisset. In quo aperte significat, illam continentiam verè fuisse bonam, & honestam, licet ad meritum eternae vitae non valeret.

Tertius, & similis locus est apud Augustinum libro de Patientia capit. vigesimo sexto, vbi dicit, si quis Schismaticus, ne abneget Christum, multa patitur, nullo modo culpandum esse, nam illa patientia laudabilis est, & ad tolerabilius iudicium sustinendum deseruit, licet non ad vitam eternam. Et ita exponit Paulum primo Corinth. decimo tertio. Et idem intelligit de haeretico, qui per errorem separatur ab Ecclesia, & tamen aliquid credit, pro quo patitur, vt cap. vigesimo septimo declarat. Et adeo censet, illam qualemcumque fidem, quam retinet, & patientiam moriendi pro illa esse bonam, vt dicat *esse donum Dei*, non quale est in iustis, sed quale esse potest in malis, vt capit. vigesimo octauo declarat. Haereticus autem infidelis est; ergo in infideli potest esse opus bonum saltem ex dono Dei. Et quamuis haereticus Dei cognitionem habeat ex reuelatione aliquo modo deriuatam, nihilominus eadem ratio erit de infideli cognoscente verum D E V M quocumque modo. Imò etiam potest in quocumque infideli versari quaestio similis illi, quam ibi tractat Augustinus, scilicet, si quis non habens cognitionem veri DEI tormenta sustineat, ne fornicetur, vel ne

15. Quartum motum dicens ex locis Augustini ipsum non tenuisse illam sententiam affirm.

16. Probatur 2.

17. Probatur 3.

falsum

*Laudabile
scilicet pro
non agendo
constrata
tionem eius
pud natu-
ralem.*

falsum testimonium dicat, an illa patientia laudanda sit, nam sine dubio est laudanda, nam ille prudenter eligit mortem propter luxuriam, vel iniustitiam vitandam, cum eligit minus malum ad vitandum maius. Vnde consequenter potest etiam queri, an illa patientia sit donum Dei, & iuxta principia Augustini ibidem, affirmandum est; ergo doctrina illa in omni homine recta ratione vrente, quantumcumque infideli locum habet.

18.
Probatur

Quartus, & notandus locus est in lib. de Spiritu, & Litter. cap. 27. ubi tractans Augustinus locum Pauli ad Romanos 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter eas, quæ legi sunt, faciunt*, prius illum interpretatur de gentibus iam conuersis ad Christum, & postea subdit. *Si autem hi, qui naturaliter eas, quæ leges sunt, faciunt, non sunt habendi in numero eorum, quos Christi iustificat gratia, sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec Deum verum piè, veraciterque colentium, quædam tamen facta, vel legitimus, vel nouimus, vel audiuimus, quæ secundum iustitiam regalem non solum vituperare non possumus, verum etiam meritiò, recteque laudamus.* Vbi licet quoad locum Pauli loquatur sub conditione, & priorem sensum ibi magis probet (de quo postea) tamen quoad rem ipsam aperte fatetur, in his impijs inueniri quædam opera laudanda, & nullo modo vituperanda, ac proinde omni ex parte bona. Subiungit verò statim. *Quamquam si discutatur, quo sine fiant, vix inueniuntur, quæ iustitia debitam laudem, defensionem mereantur.* Verum tamen etiam hæc verba nostram sententiam confirmant, ex illis enim habemus, solum ex parte finis ponere Augustinum defectum in operibus infidelium de se, & ex obiecto bonis; & illud defectum ponere non vt perpetuum, & infallibilem, sed vt ordinarium, & regularem. Ad quod expendimus illam particulam *vix*. Et capit. 28. non improbat dictam expositionem dictorum verborum Pauli, scilicet, in hominibus impijs non esse delectam naturam, Et idem dici posse, etiam in impietate vita sua facere aliquam legem, vel sapientiam. Præterea expendi potest, quod idem Augustinus ait lib. de Bono coniug. cap. 6. *Coniugali concubitus filios procreandi gratia non habet culpam.* Quam sententiam generaliter proferre, & vera est tam in infidelibus, quam fidelibus, possunt autem coniuges infideles etiam si Deum ignorent, propter illum finem coniungi, & ille finis sufficiens est ad honestandum illum actum, vt ex ipso Augustino dicto capit. 3. contra Iulian. in fine sumitur; ergo nihil repugnat ex sententia Augustini fieri talem actum ab infidelibus sine vlla culpa. Denique lib. 3. Hypognoft. (si Augustini sit opus) cap. 4. generaliter docet, posse hominem infidelem per lumen rationis aliqua opera huius vite facere non tantum mala, sed etiam bona. Et circa illa verba Psalmi 38. *Passer inuenit sibi domum, & turtur nidum, &c.* Docet Paganos extra Ecclesiam aliqua bona opera facere.

*S. Augustinum sibi contrarium non fuisse
in præfati questione.*

19.

Quid ergo in alijs locis Augustinus sensit? Vel quomodo sibi contrarius non est? Vt hoc explicemus in primis præ oculis habendus est scopus Augustini in huiusmodi disputatione, qui fuit occurrere Pelagianis, qui vt gratiæ Dei necessitatem negarent, vires naturæ extollebant, & ad hoc inducebant exempla Gentilium, & Philosophorum, quos solo lumine naturæ ductos excellentia virtutum opera exercuisse, & veras, ac perfectas virtutes habuisse, dicebant. Augustinus autem, vt eos ad veram mentem reduceret, quando cum eis disputat, in contrarium extremum inclinare videtur, & interdum veras virtutes in eis fuisse negat, interdum verò dicit, nihil boni operari, & aliquando etiam semper peccare, aut totam eorum vitam esse peccatum: non-

nunquam verò aliquid bonæ operationis moralis in eis admittit. Vt ergo mentem eius explicemus, aliquæ propositiones eius notandæ sunt, & sigillatim explicandæ. Prima est, in gentilibus, seu infidelibus non fuisse veras virtutes. Quod duobus modis potest intelligi. Primum, vt loquatur de veris virtutibus more Christiano, & Theologico, id est, vtilibus ad veram felicitatem consequendam, vt supra explicauimus. Hic autem sensus indicatur ab eodem Augustino dicto capit. tertio, contra Iulian. dum ait. *Si ad consequendum veram beatitudinem, quam nobis fides per Christum promittit, nihil prodest homini virtutes, non sunt veræ virtutes.* Et postea referens definitionem virtutis ex Cicer. lib. 2. de Inuent. *Virtus est habitus naturæ, modo, & rationi consentaneus*: subiungit, *Sed quid sit consensus liberanda, ac beatificanda natura moralium, nesciunt.* Et hanc expositionem habet D. Thomas 1. 2. q. 65. art. 2. vbi ita exponit quandam sententiam, quæ habetur in lib. sententiarum Prosperi, estque 106. *Vbi deest agnitio æternæ, & incommutabilis veritatis, falsus virtus est, etiam in optimis moribus.* Additque D. Thomas vocari falsam, non quia actum verè bonum non efficiat, sed quia ad vitam æternam non conducit. Et eandem ferè doctrinam habet D. Thomas 2. 2. q. 23. art. 7. & est communis in schola eius, imo etiam inter Scholasticos.

Alter verò Augustini sensus esse potuit, in infidelibus non esse veras virtutes, etiam intra latitudinem virtutum acquiratarum, quia nunquam possunt peruenire ad statum moraliter necessarium, vt aliquis bonus habitus, vel bona dispositio nomen absolutum veræ virtutis mereatur. Vt in capit. vltimo huius libri satius explicabo. Et hunc etiam sensum indicat Augustinus in alijs sententijs suis. Et idem Iulianum dicentem, posse infideles per liberum arbitrium esse misericordes, modestos, castos, & sobrios, reprehendit; quia non solum affectum, sed perfectionem virtutis illis tribuebat. Virtutem ergo veram appellat, quæ tam perfecta est, vt simpliciter talis possit denominari, & hanc negat Augustinus infidelibus, non tamen omnem affectum, inchoationemque virtutis. Et idem etiam ait, virtutes infidelium, *virtutesque fiant, illi tantum deseruiunt, vt mirum puniantur in die iudicii.* In his enim verbis aliqua virtutes admittit in infidelibus, & dicendo, *virtutesque fiant*, planè intelligit, siue cum integra bonitate ex obiecto, & circumstantijs, siue cum aliquo defectu ex parte finis, indicans, virtutum modum esse possibilem, modo statim explicando.

Secunda sententia Augustini est, infidelem nihil boni operari. Hæc autem potest in primis exponi moraliter, & regulariter, vt statim dicam in simili. Et idem Augustinus adiungit, quod si fortè talia opera sint in infidelibus, etià sunt tribuenda diuino muneri, saltem vt alia bona naturalia, vt bonum ingenium, memoria, lenis natura, & alia, quæ dicto cap. 3. enumerat. Secundò, & maxime ad mentem Augustini dicimus, eum loqui de bono pietatis, quod ad æternam felicitatem aliquo modo conferat. Hoc disertè exposuit dicto cap. 3. contra Iulianum circa finem, dicens, *Quoniam concedo, opera infidelium, quæ tibi videntur bona, non tamen eos ad salutem æternam perducere: scito, nos illum bonum hominem dicere, illum voluntatem bonam, illud opus bonum siue DEI gratia, quæ per vnum mediatorem datur, nemini posse conferri, per quod solum homo potest ad æternum DEI donum, regnumque perducere.* Et cum infrà dixisset, *Sine amore creatoris, nullum bene vti creaturis*, subiungit, *Hoc ergo amore opus est, vt bonum beatificum sit.* Dices, omne opus bonum eo ipso esse opus pietatis, & sanctum, & de se conducere ad vitam æternam. Respondeo, falsum hoc esse, & contra intentionem Augustini, tum loco citato, tum alijs multis, quæ in sequentibus capitibus afferemus, vbi hæc interpretatio amplius declaranda est, & illa limitatio operis boni declaranda.

Non

Non enim sine causa vel mysterio à Patribus additur, esset autem superflua, & nullius momenti, si omne opus bonum naturaliter, seu moraliter, eo ipso esset opus pietatis, in ordine ad felicitatem supernaturalem.

22. Tertia sententia Augustini est. *Omnia opera infidelium esse peccata*, vel, *omnem infidelium vitam peccatum esse*. Ut habetur in dicta sententia 106. Properi, quæ tribus modis solet exponi. Primò, ut intelligatur de peccato latè sumpto, pro actu facto in pessimo statu, in quo nihil potest prodesse ad vitam æternam. Ita respondent nonnulli. Sed mihi non placet, tum quia est nimis improprius, & inusitatus modus loquendi, tum quia sæpè Augustinus satis declarat, se loqui de proprio peccato, quia loquitur de actu, vel habente pravam circumstantiam, vel carente circumstantia debita, & in hoc ponit maxime malitiam talium actuum, quæ sufficit ad constituendum illud malum, & verum peccatum, & interdum etiam dicit, non esse à Deo, sed à dæmone, quod non potest, nisi ratione propriæ malitiæ moralis dici. Denique cum Paulus dixit, *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*, certè de proprio peccato est loquutus; at Augustinus illo testimonio vtitur ad suam sententiam confirmandam; ergo eodem modo de peccato loquitur.

23. Est ergo secunda responsio, Augustinum in his propositionibus loqui de infidelibus, ut infideles sunt, operantibus; id est, non ex regula rectæ rationis, sed ex regula erroris sui. Ita exponit D. Thom. 2. 2. quæst. 10. art. 4. ad 1. & quæst. 23. art. 7. ad 3. Quæ expositio certè non est aliena à mente Augustini; nam in dicto cap. 3. contra Iulianum versus finem, dicens: *Si gentilis nudum operuerit, nunquid quia non est ex fide, peccatum est?* Respondet. *Provisum quantum non est ex fide peccatum est*, & declarat, non quia per se ipsum factum peccatum est, sed de tali opere non in Domino gloriari, *solum impius negat esse peccatum*. Vbi solum expendo illa negationem, *In quantum non est ex fide*, ab ipso explicari, non per solam negationem, sed per aliquam contrarietatem, & circumstantiam actus ex infidelitate causatam. Vnde inferius iterum dicit. *Quod si & ipsa (misericordia) per ipsam naturalem compassionem, opus est bonum, etiam isto modo, bono malè vtitur, qui infideliter vtitur, & hoc bonum malè facit, qui infideliter facit*. Notanda est particula *infideliter*, quæ sensum reddit formalem de infideli, ut infidelis est, operante. Atque hoc magis declarat subiungens. *Ex quo colligitur, etiam ipsa bona opera (vtrique ex genere) quæ faciunt infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui bene vtitur malis: ipsorum autem esse peccata, quibus & bona malè faciunt, quia ea non fidei, sed infidelis, hoc est stultas, & noxia faciunt voluntate*. At dici non potest, ea, quæ sunt ex ductu solius rationis naturalis rectè iudicantis, fieri *stulta, vel noxia voluntate*; Ergo loquitur Augustinus de infidelibus, ut tales sunt, operantibus.

24. Hæc autem D. Thomæ expositio fiet probabilior, si addamus aliam, quam Vega dicta quæst. 13. insinuat, & aliquid authoribus contrariæ sententiæ concedamus. Nimirum, sensisse Augustinum, regulariter, ac ferè semper infideles operari ex infidelitate sua, vel ex aliqua prava intentione, ex ipsa infidelitate, vel occasione eius concepta. Quia cum habeant naturalem rationem valde infirmam de se, & per errorem, & falsas traditiones debiliorem factam: & aliunde temporalia, & sensibilia obiecta sint propinquissima, & maxime moveant, inde fit, ut ordinariè ex sola inordinata concupiscentia, & non ex pura regularitatis operentur. Hoc autem modo intellecta sententia Augustini, reducitur ad quæstionem de facto potius, quàm de iure, vel de potestate (vt sic dicam) non enim voluit Augustinus, fidem esse simpliciter necessariam ad bene operandum: nec teneri homines aliquo iure, operari cum circumstantia aliqua honesta, quæ ex fide, vel ex cognitione Dei pendeat: & hanc voco quæstionem de iure; sed ad summum

Pars I.

25. mum voluit, eos, qui carent hac cognitione, esse ita prave dispositos, ut vix aliquid boni faciant. Et quia parum ac ratum quasi nihil reputatur, moraliter loquendo, idè interdum, cum illa exaggeratione, vel absoluta negatione loquitur. Tamen hanc esse mentem suam apertè constat ex loco allegato de Spirit. & Liter. vbi addidit illam particulam, *vix inveniuntur*, quæ æquiualeat illi, raro inveniuntur, vel pauci sunt, qui recto fine operentur. Idem constat ex alijs locis, in quibus necesse est, ut aliquam exceptionem faciat ab illis regulis generalibus; ergo intellexit illam cum moderatione dicta. Atque eodem modo intelligendus est Prosper, qui phrasim Augustini imitatus est. Faciliusque exponitur Fulgentius, qui ad summum loquitur iuxta secundam Augustini propositionem.

Tandem iuxta hanc interpretationem vitantur incommoda, quæ contra Augustinum obijciebamus. Nam in comparatione, quæ fit inter infidelem, & fidelem peccatorem, est quidem æquiparatio in hoc, quòd uterque malè operabitur, si quatenus talis est; id est, vel ex errore suo, vel ex prava affectione sua operetur. Discrimen verò inter eos erit, quia fideles, licet peccatores, facilius, & frequentius possunt, & solent bene operari, quàm infideles, ut per se conitat, & idè quoties videtur Augustinus damnare omnia impiorum opera, potius de infidelibus, quàm de fidelibus loquitur. Et ita etiam loqui videtur Hier. Aggæi 1. circa ad. *Semina sili multum, & intulisti parum*. Aliud item incommodum de incapacitate infidelium ad operandum bonum ex diuina gratia facile euitatur iuxta interpretationem positam, quia Augustinus non loquitur de impossibilitate infidelium ad bene operandum, sed de morali difficultate, & de raro vsu, & ita verum est, infidelè magis esse indispotum, quàm fidelem peccatorem, ad recipiendum gratiæ auxilium, rariùsque illud recipere. Solet autem Augustinus interdum indicare, ante fidem nullum gratiæ auxilium homini dari, sed à fide incipere, ut epist. 105. tamen sub fide comprehendit omnia, quæ ad fidem ordinantur, & sunt quasi remotæ dispositiones ad fidem: non enim ignorabat, infidelem prius vocari à Deo, quàm credat, & illam vocationem ad auxilium gratiæ pertinere, & per illam posse infidelem aliquid bene operari. Hoc autem non potest dici rarum, aut insolitum, sed tam est vsitatum, quàm conuersio ipsa a dultorum infidelium ad fidem.

26. Præterea expositiones quas tribuit Scripturæ locis, quæ allegat Augustin. quidquid sit, an proprium, ac literalem sensum contineant, (non enim cogimur, omnes illas expositiones sustinere) saltem non continent falsam doctrinam, quod satis nobis est, ut locus Roman. 14. si de fide Theologica, seu Catholica, ut Augustinus sentit, exponatur, intelligitur non tantum negatiuè, sed contrariè, ita vt, *esse non ex fide*, idem sit, quod *esse ex infidelitate*, vel *esse dissentaneum fidei*. Quod si negatiuè sumatur, erit id verum moraliter tantum, & regulariter loquendo, iuxta ea, quæ diximus. Illud autem ad Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*, applicatum ad opera singula (vt interdum Augustinus vult) exponendum est iuxta secundam eius propositionem, de beneplacito Dei in ordine ad finem supernaturalem, & ad veram iustitiam coram ipso, & in ordine ad verum meritum. Quod si extendatur ad omnem modum placendi Deo per modum dispositionis ad iustitiam, vel aliquale meritum de congruo, extendendum etiam est, illud *sine fide*, ad omne id, quod fit sine auxilio ordinato ad fidem, seu sine vocatione ad fidem, ita vt sine fide fieri dicatur, quidquid fit sine initio fidei. Quamuis autem quod fit sine fide, non placeat Deo aliquo modo ex prædictis, non idè displicet tanquam malum, neque omnino non placet, vt indifferens, sed potest placere, vt honestum naturaliter, & in suo ordine. Tertius locus de arbore mala Matt. 7. si de voluntate impia intelligatur, ut Augustinus sæpè vult, formaliter

Y

intelli-

intelligendus est, de illa, ut impia est, operante, vel si absolute de illa voluntate intelligatur, limitanda est dicto modo, ut scilicet regulariter intelligatur, multi enim graues expositores ita putant, esse intelligendum illum locum, de impossibili pro difficili, ut supra vidimus. Denique in quarto loco de oculo sinistro, seu nequam, Matth. 6. verum quidem est, oculum esse intentionem, & ab intentione iniqua non prodire actionem bonam, sed inde non probatur, infidelem nunquam habere intentionem bonam sufficientem ad operis alicuius honestatem. Quando ergo hoc subsumit August. intelligendus est, morali modo, seu distributione regulari, & ut plurimum, sicut dictum est.

27.
Item procedunt priores
dicit August.
finitur ratio
nos in 24. 3.
& 4.

Est ita etiam constat sententia duarum primarum rationum Augustini, procedunt enim moraliter, ac regulariter loquendo, non verò de absoluta necessitate, quia nulla est talis, ut ostendi. Probationes verò August. in prima ratione adductæ ad summum probant ordinariam fieri contingentiam. Quod verò dicit in vltima, esse superbum, operari virtutem moralem propter se ipsam, moderandum est, & intelligendum (ut supra dixi) de his, qui in tali operatione constituebant vltimum finem, & beatitudinem, sicut multi Theologi dicunt, Angelum peccasse, ita appetendo suam beatitudinem naturalem, ut omnem aliam contempserit, & ita se ipso contentum, in superbiam elatum, Deum, & alia superiora bona despectisse. Ita enim Philosophi Stoici sensisse videntur, contra quos ibi August. agebat, ut ibi latè Ludou. Vives exponit. Et sic etiam accommodanda est tertia ratio August. dicitur enim infidelis operari sine fine debito, quia regulariter illum excludit, vel in modo operandi ponendo in suo opere vltimam perfectionem, vel extrinsecum finem prauum adhibendo, sed hæc ad summum procedunt quoad vsum, & regulariter, non verò quoad perfectatis defectum, vel absolutam necessitate, & idem est sensus tertiæ rationis.

Procedit etiam
tertiam
in eod. nu. 4.

28.
Procedit
4. ibid.

Quarta autem ratio August. videtur procedere iuxta sensum secundæ propositionis eius, quam proposuimus, nam operatio sterilis ad vitam æternam, non semper est peccatum propriè sumptum, potest autem dici non bona Theologicè, id est, carens bonitate, quæ debet habere, ut aliquid æstimetur, vnde à Paulo 1. Corinth. 13. Nihil esse dicitur. Neque August. vnamquam dicit, teneri homines ex proprio præcepto, nūquam sterilitate operari in prædicto sensu, neque vera datur tale præceptum, nec potest cum fundamento fingi. Potest verò illud sterilitate distinguere, scilicet vel negativè tantum de facto, vel etiam de possibili, quod est esse infructuosum contrariè, priori modo potest actus esse non malus, licet sit sterilis de facto, ex alijs conditionibus operantis: posteriori autem modo dicitur opus sterile, cui repugnat esse fructuosum ad vitam æternam, & hoc modo omne opus malum infructuosum est, quia solum ratione malitiæ potest illam repugnantiam habere. Non est autem necesse, ut omne opus infidelis sit infructuosum hoc posteriori modo, nisi forte regulariter, ut dictum est. Quinta verò ratio August. ne apertam æquiuocationem committat, quam probat obiectio facta, intelligenda est de vera pudicitia in sensu explicato in propositione prima, si enim vera pudicitia, etiam si corporalis sit, debet esse coniuncta cum spiritali, qua anima Deo coniungitur ut summo bono, in quod omnia refert, & ideo repugnat, veram pudicitiam esse in animo fornicante à Deo, &c.

Procedit tamen
dem 5. ibid.

C A P V T VIII.

Vitium interna gratia specialis, præter Dei concursum naturalem humane nature debitum, sit necessaria simpliciter homini lapsi ad honeste operandum?

1.
Præmissum
ex prædictis.

Propono quæstionem hanc de homine lapsi, quoniam de alijs statibus nulla esse potest difficultas,

supposita resolutione, quam de homine lapsi trademus. Igitur de homine in hoc etiam statu constituto, duo possumus ex dictis in præcedentibus capitulis tanquam certa colligere; vnum est, nullam gratiam potius infusam per modum habitus esse necessariam ad honestam operationem. Patet, quia ostensum est, neque charitatem requiri, sed ante hos habitus, vel sine vtroque illorum nullus est habitus infusus operativus, ut per se notum est; ergo nullus talis habitus necessarius est ad bene operandum. Deinde est ratio à priori, quia propter actum solum non potest requiri habitus proportionatus, & eiusdem ordinis; ergo propter actum honestum ordinis naturalis non potest esse necessarius habitus infusus. Vnde etiam fit, neque necessarium esse habitum per accidens infusum ad moralem actum bonum, quia potius ex natura rei talis habitus, generatur per actus, & alius modus infusionis extraordinarius est, & quasi miraculosus.

Aliud, quod ex dictis colligitur, est, ad opus bonum morale non esse necessarium auxilium ordinis supernaturalis quoad substantiam suam. Id constat, quia ante revelationem fidei nullum datur homini tale auxilium, & ante illam potest bene operari. Item quia nulla potest ostendi ratio talis necessitatis, vnde quæ ostendunt habitus infusos non esse necessarios, probant, nullum principium supernaturale esse necessarium. Superest ergo dicendum de auxilio naturali extraordinario, seu non debito, quod aliqui vocant gratiam ordinis naturalis. Potestque ad varias opiniones explicandas subdistingui. Nam quoddam auxilium potest intelligi, quod non solum sit in se quid reale, & addit præter omnia naturalia, sed etiam sit per modum principij physici actus moralis boni. Aliud verò esse potest speciale auxilium, quod in se sit realiter, ac physice aliquid supra omnem influentiam primæ causæ, tamen ad actum non iuuat, nisi per modum principij moralis. Denique aliud esse potest, quod licet physice, & in se non sit aliquid maius, quam per ordinarias causas secundas euenire possit, nihilominus in ratione beneficii, & in opportunitate temporis pro quo confertur, sit speciale auxilium, & verè supernaturale, non quoad substantiam, sed quoad modum.

His ergo modis multiplicatæ sunt opiniones in hoc puncto: prius verò, quam speciatim illos referamus, quæstio generatim tractanda est. Est itaque multorum opinio, nullum opus morale bonum posse fieri ab homine lapsi sine speciali auxilio gratiæ. Pro hac sententia relatus inuenio apud Vasquez 12. disp. 190. capit. 2. Leonar. Arce. Dialog. de Morib. Iacomel. lib. aduersus fratrem Medensem, cont. error. 17. Ahron. Panthuf. lib. de Prædestinat. & Gratiæ cap. 6. post medium, & lib. de Liber. arbit. c. 6. post medium, Franc. Romæum lib. de Liber. & necessit. oper. verit. 14. & 15. & verit. 22. Hanc item sententiam ita generatim sumptam latissimè defendit Gasp. Cassal. libro 1. de Quadrip. iustit. cap. 10. & à cap. 20. vsque ad 40. nunquam verò explicat modum illius gratiæ. Idem tenet Cather. Genes. 3. circa id, Vocauitque Dominus Adam, &c. Rationes autem eius eo tendunt, ut probent, non posse hominem, iustitiam, seu habitum virtutis, & charitate carentem bene moraliter operari, quod supra cap. 4. impugnauimus, & Catherino sufficienter respondimus. Eandem sententiam sequuntur Gregorius, & Capreolus, & nonnulli alij, varijs tamen modis illam defendunt, & ideo illos postea referemus. Nos enim prius contra dictam sententiam, generatim veritatem trademus, postea verò per omnes modos auxiliorum gratiæ, qui à varijs authoribus excogitati sunt, discurrendo, singulas opiniones confutabimus, & generalem conclusionem confirmabimus, tandemque generalia fundamenta omnibus contrarijs opinionibus communia proponemus, & expendemus.

Dicimus ergo, posse hominem lapsi in vno, vel alio